

F

Auf-

SS



40.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO PHYSICA

De

GIGANTUM
OSSIBUS,

Quam

Auspice DEO,

Amplissimo Senatu Philosophico indulgente,

In Illustri propter SALAM Academia,

Sub PRÆSIDIO

M. CHRISTIANI HOFFMANNI,

WRATISLAVIENSIS,

publico eruditorum examini submittet

In Auditorio Philosophico

THEOPHILUS Müller / Dresd. Misn.

AUTOR & RESPONDENS,

Pridie Kal. Septembreis,

Anni hujus 1670.

JENÆ,

Stanno MÜLLERIANO.





I. N. J.

PROOEMIUM.



Pera naturæ qui seria cogitatione secum perpendit, fieri vix potest, quin illico gaudio & admiratione quadam afficiatur. Nam quis tam vecors & sine mente est, cui non voluptatem afferat, ut Plinius in hist. nat. l. 8. c. 4. loqui solet, *rerum natura ejusque potentia*; Quæ ut quotidiana experientia testatur, quomodo vult, cuique imperat. Nos de hac naturæ potentia verba facturi, non in præsentiarum universum rerum à natura productarum genus cogimus, ut ex singularum virtutibus illius potentiam quam effectissime absolvamus & demonstramus: Sed quia de GIGANTUM OSSIBUS scribere mihi animus est, non dubito, quin satis naturæ potentia appareat, si tantum dicam, tam vasta illius ope fieri gigantum ossa, ut magnitudinem illorum nunquam adæquare possint aliorum hominum ossa.

DEUS, à quo, tanquam ex sole demissus radius, cœlestis animi vis, quæ nos virtutis & maximarum artium capaces facit, manat, fac ut & meum ingenium aliquid roboris ac virium accipiat, ne in materia vires naturæ exprimente à vera via discedam!

CAP. I.



CAP. I.
DE GIGANTIBUS,
SECTIO. I.
exhibens GIGANTUM
ONOMATOLOGIAM.

§. 1.

Quoniam, ut Lyricorum princeps Pindarus Olymp. Od. 7. loquitur, ἀμφὶ ἀνθρώπων φρεσὶν ἀμπλακίαι ἀναμνηστοὶ κέμονται, h. e. circa hominum mentes errores innumerati pendunt, & hinc res semper plane perspicueque expediendæ sunt; ante omnia disputationi quoque nostræ majorem lucem afferendi causa in ipsam Gigantum vocem scrutari, atque ejusdem *Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam* paulo curatius pensitare libet.

§. 2. *Etymologiam* igitur quod attinet, in aperto quidem, ut puto, positum est, Goropium Becanum existimare, patriam voci gigas Cimbricam à vocabulo Wythand i. e. lata manu, dedisse; Nihilominus tamen plurimi & quidem fide digniores in hac opinione sunt, eam à græco verbo γίνομαι *gino*, & nomine γῆ *terra*, quod Doribus γᾶ est, ortam in latinam civitatem receptam esse: Poëtæ enim gigantes à Terra in Deorum ultionem genitos esse fabulati sunt; De quo Apollodorus l. 1. alique.

§. 3. *Etymologia* breviter explicata ad *Homonymiam* gradum facientes, vocabulum gigas non sumimus improprie pro rebellibus, seditiosis, impiis, sacrilegis seu tyrannis. Quomodo illud usurpari posse Suidas t. l. p. 780. nonnullis locutionibus metaphoricis ad oculum demonstrat; Et cujus notæ sequentia sunt; Γιγαντιά. τὰ τῶν γιγάντων φρονεῖ. Παιδὸς περὶ χροσέξ γιγαντιά δὲ καὶ τυραννῆσας λέει. καὶ γιγαντιάον ὄνομα, τὸ μέγα. *Res-gigantum-sentit. Eodem quo gigantes animo peditus est. More gigantum vivit, & ut illi, superbe & tyrannice se gerit. Pisides de Chosroes: Gigantum enim instar se gerit, & tyrannicum imperium*
exerce-

exercere vult. Et gigantium nomen, h. e. magnum. Sed propriè pro hominibus nimia magnitudine præditis & corporibus plusquam humanis; qualis fuit Og Rex Basan; Item Nimbrodus execrabilis Chami ex Chusco nepos, quem Sulpitius Severus l. i. c. 5. in numerum gigantum refert.

§. 4. Homonymiam sequitur *Synonymia*, quam etiam carptim dicemus. Germani eos appellant die Riesen. Riesen autem seu Riisen apud Belgas idem significat, ac apud Latinos surgere: Surgunt enim atque excrescunt Gigantes in tantam altitudinem atque staturam, quanta nemo hominum illos facile superat. Alias Rämpper h. e. athletæ, Heurte/ Deghen/ Deghen-Man/ forte à Dege i. e. decentia etiam dicti; Item Recken (quanquam Reki à Risis differre ab aliquibus existimantur;) sine dubio hac de causa, quod in longum porriguntur; Recken enim est porrigere, extendere, *étéyer*: Unde & Reichen. Germani antiqui eos nominabant Solland / sive Bolland / an à violento: an potius à plena manu, quæ Germanis Bollehand. Bohemi autem Obr. an ab opere quia operosi & violenti. Uti Martinius in Lex. suo Philolog. alique, ostendunt.

SECT. II.
CONTINENS GIGANTUM PRAG-
MATOLOGIAM,
& in specie eorum
EXISTENTIAM,

§. I.

Hætenus expeditum dedimus nomen: Nunc rem ipsam aggredimur. Quia autem Disputantium provincia est, ante omnia scire, an id, de quo agere sibi proposuerunt, mu idus etiam suo amplexu contineat, non alienum à re videretur, nomine ad finem perducto, de existentia Gigantum ne quoque esse sollicitum. Extitisse vero Gigantes innume-



ra exempla vel unus Cluverius in Sicilia sua antiqua suppedi-
tare posset; Verum quia hæc omnia ex illo exscribere hujus
loci non est, benevolus Lector ut ipsos fontes adeat suade-
mus, in præsentiarum ex diversis auctoribus quædam saltem
adducentes. Thomas Batholinus magnum illud Danicæ
lumen Hist. Anatom. cent. 1. histor. 38. p. 157. in *Gallia Juven-
culam se vidisse testatur annorum XVIII. molis giganteæ, sed
parentibus pumilibus natam; cuius unica manus, inquit, tres
viriles facile exæquabat.* Beatus Odoricus Utinensis in se-
cunda itineris sui ad Indos descriptione commemorat, se in
curia Magni Cham Gigantem altitudinis 20. pedum oculis
usurpasse. Et de Patagonum in America magnitudine re-
latum legimus apud Jonstonum in *Thaumatol. cl. 10. c. 4.
a. 1.* quod illi eâ duodecim Spithamas æquarint. Quam
Jonstonii assertionem etiam Philip. Cluverius in *introduc. in
univers. Geograph. p. m. 675.* planum facit. *In regione Chi-
ca, inquit, Patagonum gens est stupenda proceritatis, novem
& summum decem pedum mensuram implens.* Imo, si nul-
lum exemplum adesset, quod existentiam Gigantum pro-
bare motum & vehementiam haberet, Hartbenum, Starcha-
terum, de quibus Olaus Magnus l. 5. p. m. 164. & Anothe-
rum (Germ. *Ein Heer*) Caroli M. tempore viventem, de quo
Aventinus l. 4. p. 571. in scenam producere vellemus; Qui
Gigantes gigantum existentiam exemplo suo satis docturi.
§. 2. Si verò testimonia hominum non adeo exacti
ac elaborati iudicii in præsentia negotio locum quoque in-
veniunt, & meum calculum addo. DRESDA, inter cujus
pomeria prima ætas mea increvit & adolevit, eo tempore,
quum adhuc puer essem, hominem fovebat, quem, quod
scio, *Magnum satellitem*, germanice *den grossen Erabanten /*
inhabitantes nominabant. Non quidem jam manibus
pedibusque contendam eum absolute gigantem fuisse; Ni-
hilominus tamen propius ad gigantes quam ad alios homi-
nes statura & magnitudine sua accessisse aperte & forte et-
iam convenienter loquar atque dicam. Plura adducere
nolo, qui his in medium prolatis exemplis non contentus vi-
vit,

vit, adeat Columel. l. 3. c. 8. Plin. l. 7. c. 26. Pomp. Mel. l. 3. c. 4. Vincent. hist. nat. l. 31. c. 5. Hector. Boëtium l. 7. Histor. Scot. Fazellum decade l. 1. 3. c. 1. item l. 1. prioris decad. c. 6. & Jonstonum in Thaumamol: Classe 10. c. 4. art. 1. Quorum plurimi circa gigantum existentiam probandam non leviter occupati fuerunt.

SECT. III
De
GIGANTUM CAUSA
EFFICIENTE.

§. I.

UT autem omnis res nunquam non habet, unde potissimum initium ducit, & unde ejus exordium est; Sic gigantum proceritatem eandem sortem mansisse non dubitamus. In illius vero *causam efficientem* si inquirimus, non quidem nos fugit magnitudini illorum varia adscribi ortus genera; Nihilominus tamen plurimi sunt, qui tota via errant. Sulpitius Severus l. 1. c. 3. dicit, Gigantes angelorum progeniem esse, inquiens: *Qua tempestate quum jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus cælum sedes erat, speciosarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt: ac natura sua originisq; degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalibus miscuerunt. Hi paulatim mores noxios conferentes, humanam corrumpere progeniem, ex quorum coitu gigantes editi esse dicuntur, quum diversa inter se natura permixtio monstragigneret.* Sed si eos, qui de hac re recte sentiunt, consulimus, non est, ut illorum consensum expectemus. Spiritus enim ut Spiritus non gignere potest homines; Quia genitura, quæ in generatione hominum maximum momentum habet, destituitur. Sublata vero causa, tollitur & effectus.

§. 8. Ulterius ire pergimus, & pleno gradu ad secundæ de ortu gigantum opinionis considerationem contendimus.



ms. Ut verò illis, qui cuniculos & occultos ingenti labore exhaustos terræ specus intrant, usu evenire solet, ut quo magis intus ingrediantur, eo vehementius eorum oculis tenebræ offendantur; Sic nos quum ad gigantum ortum exponendum cogitatione & cura intenti sumus, quo longius in hac difficili, & abscondita re procedimus, eo magis, ejusmodi opiniones sese nobis offerunt, quæ tenebris suis nobis conspectum auferre & veritati imponere conantur. Recensebo illas. *Fabulatur Rabbi Salomon, inquit Schottus in Phys. sua curiosa l. 3. c. 8. §. 6. Gigantes ex genere duorum angelorum, qui è cælo deciderant, nempe Aza & Azael esse genitos, ideoq; vocari hebraice Nephilim h. e. cadentes. Sed, subjungit, hoc delirium.*

§. 3. *Franciscus Valesius c. 8. Philos. Sacra aliique multi, pergit idem Schottus, putant gigantes ante diluvium natos fuisse ex demonibus incubis & fœminis succubis. Sed non est, inquit, quod ad tam peregrinam confugiamus originem, cum eadem de causa tum nasci potuerint, qua postea omnibus seculis ad nostra usque tempora variis in locis generantur, utique naturaliter & sine demonum concursu, tam à parentibus gigantibus, quam non gigantibus.*

§. 4. Denique, inquit Weinrichius c. 22. de monstris, altera origo (quam nos hoc loco tertiam facimus) gigantum est ex fabulis; Ceterum quia hoc loco cum Poëtis illis, qui neque verum Deum agnoverunt, neque veram didicerunt Philosophiam, insanire non libet, sicco pede commentum hoc transiens, aliis exponendum relinquo.

§. 5. Hic in spuris gigantum causis efficientibus enarrandis acquiescens, veræ causæ indagacionis curam gero; Quæ anima vegetativa est, circa quam multorum animi in ipsa luce pependerunt.

§. 6. Nemo autem est, qui ignorat, triplicem dari animæ vegetativæ facultatem nutritivam, augmentativam & generativam. Uni itaque harum gigantum productionem adscribi necesse est. Quod igitur ad Nutritivam attinet, definitio illius monstrat, illam hoc effectum dare non posse. De-

Definitur enim *facultas nutritiva*, quod sit ea, qua id, quod de partibus corporis decedit, alimento extrinsecus assumto & in substantiam corporis converso restituitur. Nunc autem impossibile est, corpus aliquod ejus ope tam mira incrementa capere posse, quum facultas nutritiva tantum occupata sit, id in integrum restituere, quod amissum est, non parvum augere & in majus extollere.

§. 7. Neque *generativa facultas* hoc loco stare potest. Idque iterum ex definitione patet: Dicitur enim *facultas generativa*, qua vivens simile sibi procreat. Verum de illa agere nostri operis non est, neque hujus loci, ideo, quia non generantur gigantes, quatenus gigantes & magni, sed successu temporis augmentatione tales evadunt.

§. 8. Reliquum igitur est, de *facultate augmentativa* id accipiendum esse; Quam opem ferente anima homines præter expectatum tantopere extendit, ut nihil supra. Namque *facultate augmentativa*, alimento assumto totius corporis quantitas secundum omnes dimensiones augetur, donec ad debitam quantitatem pervenerit. Et ut facultas augmentativa hoc eo facilius efficere queat, *Calidum innatum* ex semine communicatum corpori inde nato in auxilium vocat. Quæ scilicet causa proxima est, præcipuasque sibi partes sumit, ut gigantes magna & vasta sibi acquirant membra,

§. 9. Lucem non exiguam his adferre poterit attentior consideratio calidi innati, ut cujus non exiguam potentiam esse, etiam qui leviter saltim naturalium scientiam tinctus est, ignorare nequit. Sane cum eo uti incipit, sic ab eo etiam dependet vita, & totius corporis habitus: ut nonnulli veterum etiam ipsum pro animam habuerint. Quæ autem sit ejus natura, vis ac origo, optumè expositum disci potest ex disputatione in illustri Academia hæc sub præsidio Excellentissimi. Dn. POSNERI *Physices Profess. Publ.* celeberrimi, Anno Christi M. DC. LXIII. de eo habitam: ad quam proinde L. B. remittimus.

B

SECT.



SECT. IV.

De

Gigantum materia.

Giganteitatem, ut sic loquar, accidens esse, & quidem homini proprium communis loquendi usus nos docet: solis enim hominibus neque aliis entibus hoc nomen imponitur. Subjectum itaque denominationis homo audit. Quodnam vero sit subjectum inhesionis, de illo non est ut dubitemus, quum giganteitas in sua natura magnitudinem involvat, p. c. extensionem, quæ non nisi in materia locum habere potest; Jam autem anima humana tanquam spiritus extensionis capax non est, supererit itaque corpus, cui magnitudo illa tanquam subjecto immediate inest.

§. 2. Ordine analytico procedens primum giganteitatis subjectum, quatenus ipsum, investigo, quo nimirum posito ponitur giganteitas, eoque ablato primò tollitur, quod Aristoteles I. post: 5. t. 43. requirit, & cum eo commentatores, inter alios Zabarella in hunc locum p. 733. Plures vero formalitates in homine, ejusque corpore se ostendunt: Quarum respectu corpus, ut corpus naturale &c. considerari potest.

§. 3. Homo autem non est subjectum primum giganteitatis, quia est 1. corpus naturale. Non quia est corpus; quia h. m. constat præcise ex materia & forma. Jam neque ex materia determinata fluit quantitas, cum ipsa sit indeterminata: Neque à forma: Licet ea apta sit ad determinandam materiam, certam tamen determinationem in certa materia tantum operatur. Neque, quia naturale. Eo pacto enim mobile quidem est ad quantitatem in præcissione, non tamen hujus vel illius speciei aut gradus.

Neque 2. quia est corpus mixtum, & quidem perfecte, quia alias omnibus perfecte mixtis corporibus giganteitas conveniret,

Neque

Neque, 3. qd. est *corpus animatum*. Alias enim non soli homini, sed & plantis & brutis hæc affectio competeret: cum tota natura generis in suis speciebus contineatur essentialiter.

Neque 4. qd. est *animal*. Par enim hic ratio militat neque *sensitivum*, qua tale, hoc præstat, alias & muscæ gigantes fieri possent.

Neque 5. qd. est *homo*: rationalis enim anima, qua talis, materialem effectum non producit. Superest itaq; consideratio hominis *habet, qd. tale corpus vegetativa facultate anime informatum*. Hac enim conditione posita in subiecto n. p. homine, eoque, sic considerato, ponitur potentia in gigantum evadendi, eaque conditione sublata, tollitur illa potentia.

§. 4. *Materiam in qua excipit materia ex qua*. Quam Schottus *semen utriusque parentis, copiosum, crassum, calidissimum, spiritibus affluens & seri expertis* dicit. Nos libenter quidem concedimus semen materiam ex qua esse, ut Schottus vult, non autem quod ab utroque parente proveniat, sed quod demum à spiritu contagioso in utero producat. Nam si Aristotelem ejusque asseclam celeberrimum Harveum testem oculatum sequimur, neuter parentum semen habet. conferatur ille lib. 1. de generatione anim. c. 2. & 18. hic Exercit. de concept.

SECT. V.

De

Gigantum forma, s. ratione formali.

§. 1.

Necessarium est, postquam monstravimus, quid sit subiectum aut materia magnitudinis gigantum; Ostendamus nunc tandem, quæ ratio formalis ejus audiat. Consistit autem hæc in *exsuperantia staturæ humane solita proportio-*

B 2

nata



nata; Cui si iusta, saltem sex Palmos, monente Kirchero in mundo suo subt. tom. 2. l. 8. c. 4. ut plurimum assignant architecti & statuarii. Quanquam igitur non certa & omnibus numeris absoluta staturæ spatia determinare queamus, quum hominum alii aliis altius assurgant; Nihilominus tamen illos, qui modum excedunt, & præter communem crescendi rationem multo maiores fiunt, quam alii homines, imprimis quum à mediocri staturæ parentibus ortum trahunt, merito in numerum gigantum referimus. Qualis fuit Goliath, vir miræ magnitudinis & roboris, uti Sulpitius Severus l. 1. c. 60. Hist. suæ sacre eum appellat, qui 19. Palmorum altitudinem æquasse dicitur: item gigantis in Helvetia reperti cadaver, quod 27. & teste Plinio, Orestis, quod 21. Palmorum longitudine præditum fuisse memoratur.

§. 2. Consistit itaque hoc, quod gigantes ab aliis hominibus differant, in exsuperantia staturæ solitæ non quavis sed proportionata. Qualem autem membra corporis inter se symmetriam habant, Vitruvius l. 3. cap. 1. de architect. exponit, inquit: *Corpus hominis ita natura composuit, uti os capitis à mento ad frontem summam & radices imas capilli esset decimæ partis. Item manus palma ab articulo ad extremum medium digitum, tantundem. Caput à mento ad summam verticem octava. Tantundem ab cervicibus imis. Ab summo pectore ad imas radices capillorum, sextæ: ad summam verticem quartæ: Ipsius autem oris altitudinis tertia pars est ab imo mento ad imas nares: nasus ab imis naribus ad finem medium superciliarum, tantundem: ab ea fine ad imas radices capilli, ubi frons efficitur, item tertiæ partis. Pes vero altitudinis corporis sextæ, cubitus quartæ, pectus item quartæ.*

§. 3. Exsuperantia igitur hæc rationem formalem constituit, non determinata quidem, nihilominus tamen nec supra fidem. Vix enim fuisse Gigantes mihi persuaserim, qui propius ad montium altitudinem, quam hominum staturam accedere videntur. Quale cadaver, Plinio teste, ex Cretæ quodam monte effossum fertur, quod 138. palmorum longitudinem habuisse dicitur. Item Tingæ in Mau-

Mauritania cadaver Gigantis repertum, quod eodem Plinio teste, 180. palmarum altitudinem si non superasse, tamen æquasse memoratur.

§. 4. Licet enim proportionem dari potuisse non inficias iverim, quærere tamen libet: quanta horum hominum fuisset calva? Quanta cetera membra? Proportionem illos habuere potuisse vix fidem invenit. Quapropter quibus argumentis Kircherus ejusmodi hominum existentiam in dubium vocet, jam ibo demonstratum. Primo dicit citatus auctor in mundi subt. l. 8. s. 2. c. 4. disq. 1. *quum omnis forma materialis ex se & sua natura exigat esse forma Corporis Organici sibi proportionati, corpori autem excessiva magnitudinis repugnet corpus organicum majus & majus in infinitum; certe luculenter patet conclusio. Ratio: quia tales formas cum suo Organo commensurari necesse est, à cuius existentia sicut dependent naturaliter ad existendum, ita ab ejusdem possibilitate dependent. Quum fieri non possit, ut Organicum corpus majus & majus in infinitum ab anima, quæ certos à natura sibi constitutos terminos habet, animari possit &c.*

§. 5. Deinde veniam sibi sperandam vix illos habere putat, qui tantæ molis gigantes narrant, inde, quia quemadmodum colossi marmorei sine fulcris non consistere possent: pari modo tam vasta corpora diu durare haud valerent. Nam futurum ut brachia ceteraque membra nimio pondere gravata brevi de corpore deciderent, totiusque hominis sequeretur ruina.

§. 6. Tandem (quamvis plures probationes adhuc ibi continentur) huc pertinet, quod eodem loco in hac opinione Kircherus est, minus sic sese habere posse, ut terra ejusmodi homines alat, ideo quoniam hoc modo, quam diu vitam viverent, lecto ac terræ affixi esse deberent, neque propter immensam corporis reliquorumque membrorum magnitudinem gradus facere possent, Imo, *quod habitaculum, inquit, tantæ vastitatis capax? quod nutrimentum tantæ ingluvieri sufficiens.* Concludit itaque, nunquam ejusmodi

B 3

homi-

homines repertos esse, & quæ de illis memorantur, suspicio-
nem fabulæ incurere.

§. 7. Verum enim vero Erasmus Francisci in Tr.
Germ. nuperis nundinis edito, cujus titulus: *Außländischer
Kunst-und Sitten-Spiegel* / Kircheri rationes minus appro-
bat. Causam subjungit: Quia etsi gigas 1000. cubitorum lon-
gitudinem haberet, nihilominus, posito incremento pro-
portionato, pedes officium suum fatis facere valerent. Quod
autem ad Colossos attineret, quibus idem Kircherus suam
sententiam confirmare vellet, argumentum illud debile esse,
ait: quia ab animatis ad animata non valeret consequentia.
Lapis enim natura deorsum moveretur, non vero caro &
sanguis, quæ à forma sua gubernata directionem sortiren-
tur. Quamvis Francisci in hoc à Kirchero haut dissentit,
quod ejusmodi gigantes non sint: Negat enim id pari mo-
do. Sed quod propter jam allata argumenta illi non exi-
stant, hoc in dubium vocat. Nos de talibus, uti §. 3. Sect.
hujus demonstravimus, in præsentiarum non loquimur, sed
de illis, qui quidem communem stature rationem magni-
tudine excedunt, sed tali magnitudine, cui adhuc fides
habenda est.

SECT. VI.

De

Fine Gigantum;

§. 1.

DE fine jam acturi non copiosa oratione exequimur;
quot species finis, & an gigantes etiam agoscant finem
cujus, an *eui*; *Operationis*, an *rei factæ*; *Objectivum* an *for-*
malem; sed statim ad communissimam divisionem nos
conferimus, qua finis in *ultimum* & *intermedium* dividitur.
Ultimus est *Gloria DEI*, quæ ut in omnibus rebus, ita &
hic sibi locum vendicat. *Intermedium*, rectè si gigantum
effecta spectaverimus, non alium judicabimus, quam ut
primum omnium naturæ potestas exinde appareat, & deinde
ut id

ut id, quod ab aliis mediocriſ ſtaturæ hominibus non ef-
fectum dari poteſt, ab illis, qui majore vi pollent, ad finem
perducatur. Sic Saxo Grammaticus in præfatione Daniæ
ſux eximie magnitudinis ſaxa veterum baſtis ac ſpecubus af-
fixiſſe gigantes in Danica regione ſcribit. Et Eraſm. Franciſci
in tractatu Germ. jam allegato l. i. c. 17. p. 109. græcos gi-
gantes Sancimonem & Celebrandum Hildegardi conjugii
Caroli M. in cœnobio extruendo operam ſuam navalle
memorat.

CAP. II.

SECT. I.

tradens OSSIUM ONOMA- TOLOGIAM.

§. 1.

Gigantibus merito *offa* connectimus: Quoniam de utriſ-
que agere inſtituti noſtri eſt. Quod itaque ad *Etymo-*
logiam vocabuli oſis ſpectat, quod quidam veterum *hoc*
offum & *hoc offu* latine exprimebant, unde & Pacuvius in
Chryſ. *Offum inhumanum*; Convenit illud cum græco ὄσων,
& ab eo etiam dicitur. Propius eſt Heb: □□□□ robustum
ex □□□□ robustum eſſe. Et inde eſt □□□□ os; In quo ſci-
licet robur corporis conſiſtit, ſeu quo corpus roboratur &
fulcitur. Uti Martinius in Lex. ſuo Philolog. tradit.

§. 2. Oſſa ſunt, quæ mirabiles commiſſuras habent,
& ad ſtabilitatem aptas, & ad artus finiendos accommo-
datas, & ad motum & ad omnem corporis actionem. De
quibus in præſentiarum nos loquimur. Deinde etiam illud
os dicitur, quod oſſi ſimile eſt, ut nucleus lignoſus, oſſicu-
lum. Item λογισμοί. Suid. t. II. p. 343. inquit: ὄσα τρωμαῖς
οἱ λογιſμοί. ἐπειδὴ τὰ ὄσα τετραπλάσια ἔχουσι φύσιν. καὶ αὐτὰ
φέρει τὸ ζῶον. *offa tropice ſunt ipſæ cogitationes, quia oſſa ſoli-*
diores habent naturam, & ipſa ferunt animal. Et 3. deniq;
oſſium quoque nomen gerunt lapides, quibus natura oſſi-
um formam finxit.

§. 3. Os

§. 3. Os Germ. effertur ein Weint/ quia ossium virtute est τὸ σαίνειν, quod imus. Quamvis etiam calvæ, brachia dentes &c. ossa dicuntur: quæ omnia & in disputatione nostra pro ossibus reputantur. Hebraice, ut modo dictum est, vocatur □ □ □.

SECT. II.
exhibens OSSIUM PRAGMATOLOGIAM, ET IN SPECIE eorum definitionem.

§. I.

ACcingimus nos ad alia, & in definitionem ossium inquirere ordo svadet. Definiuntur vero vulgo ossa, quod sint partes similes, & frigidissimæ ex materia terrea & pingui genita ad totius stabilimen rectitudinem & figuram. Andr. Laur. Histor. Anatom. l. 2. c. 2.

§. 2. *Definitum sunt ossa. Definitionem absolvunt reliqua verba: Quam genus juxta ac differentia specifica constituunt. Genus habetur in verbis: partes similes. Quos Daniel Sennertus D. Epit. instit. medic. l. 1. c. 3. de sanitate, in corpore humano duplices refert; alias tantum ad sensum tales, quæ etsi primo intuitu tales videntur, tamen si diligentius spectentur, compositæ è pluribus deprehenduntur. Alias vere & exactè tales, in quibus neque sensu accuratiores neque ratione diversitas inveniri potest; quibus ossa annumerat. Differentia specifica demum petitur cum à materia, tum à fine. Materia ex qua ossa generantur, secundum Hippocratem est terrea cum pingvedine & humiditate adjuncta. Et Plato in Timæo f. m. 544. scribit: τὸ δὲ ὄσθιν ζυγίσθησιν ὡς γῆν διατρέσας κατὰ τὴν καὶ λείαν ἀνεφύρασε καὶ ἔδευσε μυελῶ καὶ μὲ τῆτο, εἰς τὸ αὐτὸ ἐνπίθησι μετ' ἐκείνο ἢ, εἰς ὕδωρ βάπτει πάλιν δὲ εἰς αὐτὸν αὐτὸς δὲ εἰς ὕδωρ μετὰ φέρον δ' ἄτως πολλάκις εἰς ἐκάτερον ὑπὸ ἀμφοῖν ἀτηκῶν ἀπειργάσατο. i. e. Os vero ipsum ita com-*

composuit (DEUS) terram atterens puram levemque, miscuit,
madefecitque medulla. Id postea in ignem jecit, deinde in a-
quam misit, rursus in ignem, iterum & in aquam. Atque ita
sepe transferens in utrumque, tale reddidit, ut à neutro li-
quesceri posset. Finem quod concernit, ossa multam utili-
tatem habent. Hæc enim munimenta sunt, quibus corporis
partes, quæ facile periculum adire possent, in tutum collo-
cantur, & quorum auxilio homo erectus incedit, quæque
instar fundamenti hominis corpus sustinent. Aristot. de
part. animal. l. 2. c. 9. sic loquitur. τοῖς μὲν ἐν ἄλλοις ὑπερ-
ῆσαι σκευόδεσι μορφοῖς, τοῖς μὲν κινημένοις διὰ κάμψιν, ἴστα
χάειν. τοῖς δ' ἀκινήτοις, φυλακῆς ἕνεκεν. ὅσον αἰ συγκλείσσαι
πλευρὰς τὸ στήθος σωτηρίας χάριν τῶν ἐπι καρδίαν πηλαγ-
χῶν. i. e. ceteris igitur partibus, sc. carnosis ossa omnibus
subjacent, aut flectendi gratia, si moventur; aut conservandi
causa, si immobilia sunt: ut costæ, quæ pectus, salutis visce-
rum gratia, claudunt.

§. 3. Quoniam autem hæc disputatio nostra non solum
circa *gigantum ossa*, sed etiam circa eorum *dentes*, quos
ossibus annumerandos esse supra monuimus, occupata est,
suis coloribus etiam *definitio dentium* exprimenda venit, ut
& ejus partes spectandæ oculis exhibeantur. Nam de den-
tibus seorsim & in specie agimus ideo, quoniam de ceteris
ossibus eorumque natura non paullo dentes recedere mul-
tis videntur. Sunt autem *dentes ossa dura & solida, levia*
item & candida, cibi comminuendi vocisque formanda in-
strumenta.

§. 4. *Definitum sunt dentes. Definitionis genus memo-*
rantur Ossa. Differentia specifica consideratur tum ex qua-
litatibus tum ex fine. Qualitates sunt varix; dicuntur enim
ossa dura, solida, levia. Finis vero Aristoteles de part.
animal. l. 2. c. 9. mentionem facit, dicens: ἐν τούτῳ δὲ τῷ
γένει καὶ τῶν ὀδόντων ἐστὶ φύσις. τοῖς μὲν ὑπάρχουσα πρὸς ἐν
ἔργον τὴν τῆς τροφῆς ἐργασίαν. τοῖς δὲ πρὸς τὸ καὶ πρὸς ἀλ-
κῆν ὅσον τοῖς κερχαστάσι καὶ χαυλιόδοσιν. Dentes etiam in
hos

hoc eodem genere collocandi sunt qui aliis rem unam tantum expedient, i. e. cibi confectionem: aliis non solum ad hoc usus sunt, sed etiam ad pugnandum, ut iis omnibus, quibus aut serrati aut exerti sunt dentes.

§. 5. Antequam in specie gigantum ossa accedo, non sicco pede pratero id quod Th. Bartholinus l. 1. c. 13. de luce hominum & brutorum narrat, quod nimirum facile ex dentibus Scintillæ elici queant. Talem inquit citatus Bartholinus dentium compagem in Belgio non ita pridem produxerat Nicolaus Sojernus, vir spectata fidei & prudentiæ, ut instar silicis ligno quodam Indico percussa ossa scintillare conspicerentur, quod bona fide ad me frater ejus Guilelmus Sojernus Græcæ literaturæ peritissimus, detulit. Et paulo post mentionem facit dentis cujusdam gigantei, qui ex Sicilia monstrorum gigantumque olim sede exportatus radios igni similes sparfit. Quod, quoniam de dentibus hic sermo incidit, intermiscere volui, non tanquam ad rem præcise pertineret, sed quia illud si non apte, tamen neque inepte, hic adduc posse videbatur.

SECT. III.

De

GIGANTUM OSSIUM EXISTENTIA.

§. 1.

Hætenus in genere de Ossibus egimus; Nunc in specie Ossis gigantum consideramus. Quæ num hodie adhuc existant, à nonnullis in dubium vocatur. Nos à partibus affirmantium stantes nostræ sententiæ fidem firmamus, quod vetustas ossa non tam citò, quam res fluentes & molles exedat. Et deinde §. jam sequenti duo exempla afferimus, quæ sat lucis affundant non ad eò dubiæ rei.

§. 2. Kircherus in mund. subst. l. 8. s. 2. c. 4. s. 1. Sceleton inventum Anno, 1577. ait in comitatu Willisan Lucen-

Lucensis jurisdictionis. Res gesta etiam nunc in prætorio
Lucernensi, ubi in hunc usque diem illud spectantibus exhi-
betur, his verbis comprehensa legitur: *Declinatio sceleti*
gigantis, cujus ossium portiones aliquot, veluti fæmeris, tibia,
scapularum, vertebrarum, ossis sacri, coccygis, navicula-
ris, costarum, calvariaq; fragmenta, pollicis quoque secun-
dum os atque calx, mala item integra fere, (è quibus & tan-
quam illis, quæ in hominibus longe aliter, quam ceteris ani-
mantibus formata sunt, humani corporis hæc ossa fuisse, præ-
cipue indicium sumptum fuit,) in ditone Lucernatum
Helvitia juxta vicum Reyden, quercu antiqua dejecta, sub
illa inventa, Senatuique Lucernensi transmissa, & ad horum
dimensionem reliqua totius sceleti ossa, quæ ut aberant, nec
non absoluta erant, à Felice Platero ordinario Basilea Physico,
ad imitationem veri sceleti delineata, atque à Jo. Bock, pictore
Basileensi depicta, illustrissimoque Senatui Lucernensi præ-
sentata fuerunt. A. Sal. 1584. Alterum exemplum suppeditat
illud SERENISSIMI ELECTORIS Dædaleorum operum
& artificiorum horreum, quod Dresdæ est. In hoc quum ali-
quando omnia illa quæ notatu digna sunt, summamq; admi-
rationem spectantibus injiciunt, aspiceremus, incidimus in

os quoddam gigantis 58. lb. grave, & in dentem $\frac{3}{4}$ lb. pondus

habentem. Quæ utraque adhuc ibi magna diligentia asser-
vantur, & illis qui cupiditate mirabiles res penitus inspi-
endi flagrant, ostenduntur.

SECT. IV.

De

Gigantum Ossium inventione variis in locis.

§. I.

Propius admovemur disputationis nostræ fini; Quod
ut eo minus de gradu, in quo consistere cœpimus, ante
C 2 nos



nos deturbari patiamur, causa est. Incitato itaque cursu ad inventionis quoque ossium giganteorum considerationem properamus; Quoniam ut in omni negotio ita & in praesenti inventio alicujus rei non parum ad rem probandam & demonstrandam facit. Inventa autem variis in locis fuisse gigantum ossa, multis quidem confirmare possemus exemplis: nihilominus tamen brevitati studentes benevolo Lectori, multa narrando molestiam non creamus, sed quod paucis exponi potest, paucis etiam imus probatum. Suidast. II. p. 155. in voce Μηνᾶς (Menas) scribit: ἐν τῷ ναῶ τῆς ἁγίας Μηνᾶς ὄρυγμα εὐρέθη μέγα ὅτε ἐκαθαίρετο. Καὶ ὅσα ἀνδρῶπων γιγάντων εἰς πλῆθος, ἃ ἴνα θεασάμενος ἰνασάσις ὁ βασιλεὺς, καὶ ἐκπλαγεὶς εἰς τὸ παλάτιον κατέθετο θεῖον ἐξάσιον. i. e. In templo S. Menas, cum repurgaretur, magna fossa reperta est, & magna copia ossium gigantum. Quae conspicatus Anastasius Imperator, & admiratus immane miraculum, in palatio reposuit. Deinde uti Kircherus l. 2. l. 8. c. 4. §. 1. memorat, Fulgositus sepulchri cujusdem meminit, quod Carolo VII. Gallorum Rege imperium tenente, in montana Narbonensis Galliae parte juxta Valentianam urbem à Rhodano detectum traditur. Ad quod videndum & cognoscendum, ubi magnitudo illius aliquid miri ibi contineri promiserat, multi confluerunt. Aperto vero tumulo, nihil aliud ibi quam vasta hominis ossa, cujus dimensio triginta pedes implevit, sese conspicienda praebuerunt. Quam ad inventionem ossium gigantum probandum non parum quoque facere videtur exemplum (si modo veritatem illud amat) Phleg. Trall. in libro de mirabil. & longæv. uti Schottus in Phys. Curios. l. 3. c. 8. §. 4. citat; Qui in Dalmatiae spelunca, quae Dianae dicebatur, multa corpora reperta fuisse, eorumque costas 16. ulnas excessisse scribit. Ut de tempore Neronis, quo multas & celebres Asiae Siciliaeque urbes terrae motu everfas, tantaque hominum corpora inventa fuisse memoriae proditum est, ut unus illorum dens Romam ad Tiberium missus pedis mensuram non attigerit modo, sed etiam superarit, jam nihil dicam

dicam. Neq; altius repetam, quomodo An. 1178. gigantis
cujusdam, cujus longitudo pedum 50. ossa in Anglia alluvi-
one detecta fuerint. Ex quibus quilibet, qui serio ista aut
talia secum recogitabit, facile percipiet, vera nonnun-
quam illa esse, quæ de inventione ossium giganteorum
passim dicantur, præsertim quum in præsentiarum D. Au-
gustini auctoritatem & fidem adhuc sibi commendatam
habebit, qui l. 2. de civit. DEI c. 9. sic loquitur: *Sed de
corporum magnitudine plerumque incredulos nudata per ve-
rustatem seu per vim fluminum, variosq; casus sepulchra
convincunt, ubi apparuerunt, vel unde ceciderunt incredibilis
magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot
mecum in Uticensi littore molarem hominis dentem tam in-
gentem, ut si in nostrorum dentium modulos minutatim con-
sideretur, centum nobis videretur facere potuisse &c.*

§. 2. Nos, an sect. hujus IV. omnia exempla vera
sint, aliis judicandum relinquimus, illa omnia neq; pro
certis neque pro falsis habentes. Nihilominus tamen vix nos
fallet, de quibusdam illorum dubitari posse, quoniam in-
credibilis magnitudo horum gigantium atq; ossium, quæ in
his nonnullis exemplis probationis loco adducuntur, in-
ventioni obstare posse videtur. Quoniam vero nihil certi
adhuc de illis possumus affirmare, neque horum exemplo-
rum falsitatis apertum sit crimen, quo argui possent, & illa
addaxisse non vitio dabitur.

SECT. V.

De

Dubitatione agens,

§. 1.

Quemadmodum autem, ut vulgo dici solet, *nulla re-
gula tam firma, quæ non patiatur exceptionem; Ita
etiam vanum ineptumque esset, omnia illa ossa, quæ diverso
tempore reperta, proque gigantum ossibus passim cele-
brata fuerunt, candido Lectori etiam pro gigantum ossibus*

C 3

hoc

hoc loco velle venditare; Quum tamen, uti mox in sequenti
sectione dicitur & explicabitur, non omnia, quæ Gigantum
ossa videntur, etiam statim gigantum ossa sunt. Jam quo-
niam de dubitatione agere in primis hujus loci est, nonnul-
lorum dubitationes quoque in medium afferimus.

§. 2. Dubitat autem Nicolaus Claudius Fabricius de
Peiresko Senator Aqvensis *vir in commune bonum natus, &*
qui semper id impense curavit, ut constantissime prodesset uni-
versitati generis humani, uti in ejus vita Petrus Gassendus
l. 3. pag. 210. scribit, & existimat, grandia ossa, quæ effossis sæ-
pe sepulchris miramur, esse Elephantina; quasi belluarum domi-
ni illa cara habuerint, aut fortè etiam posteritati illudere vo-
luerint ex ea sepeliendorum cura. Opinatus est etiam, common-
strari interdum ossa, quæ effossa fuerint ex arenis aliis que locis,
ubi casu quodam fuerint obruta; cum reperire vix liceat vi-
rum aliquem fide dignum, qui sepulchra fabrefacta oculis suis
conspexerit, fidesque penes illos sit, qui divendunt, monstrant,
aut se invenisse, eruisseque profitentur &c. Et ut constet, un-
de causam arripuerit Peireskius his de ossibus discurrendi,
narrat citato loco Gassendus, sub tempus aliquod rumo-
rem percrebuisse de giganteis ossibus, quæ in Delphinatu
reperta Theutobochique Theutonum Regis à Mario devicti
ossa memorabantur, ut pluribus in citato Auctore legere est.
Alter locus, in quo Peireskius de ossibus dubitat, habetur
lib. 4. pag. 366. ejusdem tractatus: Ubi non solum Ele-
phantis cujusdam dentium contrectatione, verum etiam eo-
rum ceræ applicatione, quo illorum simul magnitudinem
formamque faceret expressam, perspectum habuit memoras-
tum, de quo ante dixerat, molarem dentem ex Africa missum
ab Arcasio, Elephantis esse non Gigantis dentem. Et statim
subnectit: neque est amplius demiratus, cur ex gigante Theu-
tobocho tam pauci fuissent dentes ostensi. Quod ad primum ex-
emplum adhuc pertinet.

§. 3. Alii, quos connectendos non putamus, & quo-
rum in numero itidem Peireskius est, ut itidem l. 4. pag. 356.
Gassen-



Gassendus narrat, nihil prius atque antiquius habent, quam ut existant, ossa, quæ Gigantibus assignantur, sæpe balenarum costas esse; Quibus quum rei veritas non exiguam auctoritatem adjiciat, haut simpliciter ab eorum opinione discedimus.

¶.4. Tandem Kircheri opinionem si apertis oculis arbitramur, deprehendimus illum illis calculum suum sine mora adjicere, qui terram lapides formam ossium representantes generare dicunt, illosque pro gigantum ossibus circumforaneos ostendere & venire quam plurimo statuunt. Sed accingimus nos ad *explicationem*.

SECT. VI.
De
EXPLICATIONE.

§. I.

ANtequam fumantia lora, uti Poeta ait, solvimus equis, adhuc pauca de *explicatione* addenda sunt. Ut autem in hoc negotio Peireskio & Kirchero aliisque doctis viris detrahamus, multum à nobis abesse jubeat imbecillitas nostra judicandi, quin potius illis in hac eorum opinione sedulo adhærescamus, quum nullam isti omnino incurrant notam, dum non de omnibus sed de quibusdam plurimisq; saltem gigantum ossibus ea nimirum falso pro gigantum ossibus venditari, hoc intellectum volunt. Secedimus itaq; libenter primum in Peireskii castra, & illi consentimus, *interdum*, uti verba ejus habent, *commonstrari ossa, quæ effossa fuerint ex arenis, aliisque locis &c.* quæ verba paulo ante adduximus, ubi illa legi possunt. Apparet itaque ex adverbio *interdum*, Peireskium ad opinionem nostram de inventione ossium giganteorum quidem accedere, non autem omnia ossa, quæ pro gigantum ossibus habentur, statim & ipsum pro illis habere. *Quod neque nos faci-*



facimus. Deinde etiam illos alicujus erroris non infimus, qui ossa gigantum, ut vulgo dicuntur, plerumque à balenis esse existimant; Pari enim modo earum costis nomen ossium giganteorum interdum falso imponitur, ut lapides ossium formam habentes hoc nomine falso interdum insigniuntur; De quibus lapidibus Kircherus in hac opinione est, illos quoque interdum forma sua hominibus imponere, ut existiment se videre ossa gigantum, quum tamen nihil aliud quam lapides videant. Verum enim vero quoniam de hac formatione lapidum formam ossium representantium plura loqui hoc loco non solum non à re alienum: sed & Candido Lectori admodum gratum fore puto, sequenti jam §. illam ipsam formationem ex Kirchero exscribere mihi animus est, ut, si forsitan, quum ex mea mente hæc dicta viderentur, mihi non fides haberetur, Kircheri verbis tamen illa habeatur.

§. 2. *Queritur itaque, inquit Kircherus lib. 8. mund. subt. f. 2. cap. 4. disq. 2. quomodo tam immanes calvarie, tam immania humani corporis membra, ad fœmorum, tibiarum, costarum, dentium similitudinem producat. Dico latere in subterrestribus visceribus intra saxosorum montium hiatus terram quandam limosam, quam margam cum Agricola supra nominavimus, Gypsea materie mistam: quæ terra ubi per rimas montium nitrosi fluorem receperit, fit, ut illa veluti cortice quodam Gypseo induatur, qui uti cum tempore lapidescit, ita quoque salenitri splendore albedine sua os proxime emulatur, utpote candidum, rimosum & friabile: Si itaque intra terre concavitates, hæc terra concavitate rotunda locum invenerit, nascitur pila rotunda, quæ discussa calvariam proxime emulatur: si matrix fuerit disposita sub forma fœmoris humani, aut costæ, aut alterius membri margam in ea contenta super affuso salenitroso liquore, fœmur humanum minus, majus, maximum & prorsus giganteum pro matris magnitudine exprimet. Atque hæc sunt ossa ista, quæ natura producit, & passim ossa gigantum communi hominum persuasionem dicuntur, quæ tametsi confregeris, nulla in eis nec medul-*

medulla, nec medulla fistulosus meatus reperitur, quod fieri deberet, si hominum ossa forent. Ex mox: Rursus cum lutose hæc & argillicea materia non semper in globos conformetur, sed subinde in cyndros pro materia, cui circumducitur, forma; hinc fit ut vel stipiti aut arundini, similique tereti materie circumducta in ingentes devolutione sua cylindros excrescat; quæ gypseo & nitroso liquori permista, tandem vi lapidifica in trabes veluti, osseas nunc subtibiarum, manuum, modo brachiorum, jam pedum forma convertantur, quæ effusa cum ossium quid exprimant, & friabili substantia consent, passim pro ossibus gigantum ob immensitatem molis, reputantur.

§. 3. Habes hic duos modos, pergit, quibus natura in huiusmodi ossibus formandis utitur; vel intra montium hiatus, pro dispositione concavitatis, intra quos marga gypsea, & in salenitroso liquore superaffusa, & in lapidem conversa, tales efformat figuras, quas matrix exhibet. Alter, per argillosam materiam gypso & nitro mixta devolutionem ex montibus factam; uti dictum est. &c.

§. 4. Et sic hætenus ad oculum ostensum fuit, ossa gigantum sæpius non esse ossa gigantum; Nunquam autem Peireskium, Kircherum, aut alium aliquem ita nobis adversum & contrarium experti sumus, ut plane inventionem ossium giganteorum illi rejecerint, quæ ut integra illibataque etiam servaretur, neque plane exploderetur, fuit quoque illud, quod defendere hætenus enixe laboravimus.

§. 5. Cæterum satis itum est in viscera terræ, partes iterum dimittimus, quas suscepimus nuper. TIBI, SUMME DEUS, quod in gigantum antris ab omni periculo me prohibuisti, me dico totum.

COROLLARIA.

Gigantes non sunt monstra.

Cometæ non sunt prophetæ.

D

Plu-

Pluvia sanguinea, quæ vulgo vocatur, interdum est excrementum papilionum.

Æstus marini causa non est Luna.

Mare rubrum videtur appellari ab herbæ cuiusdam colore in fundo ejus crescente.

Generatio nivis oculariter potest ostendi.

Causa Terræ motuum in continenti alia videtur esse danda ab illa, quæ alias à situ sumitur.

Corallia non sunt plantæ.

Unicornu non tantum minerale, & animale ex pisce, sed & ex quadrupede existere vero simile est.

Herbæ an possint etiam in ventriculo animalium crescere?

Neq; mas neq; foemina habent semen, & tamen omne animal, quod ex conjunctione sexuum nascitur, ex semine nascitur.

Gallina sine vinculo immota detineri potest.


Chamæleon non vescitur aura.

Idem mutat colorem per principium intrinsicum.

Nunquam homo hominem vidit.

Frustra habitantes ad Catadupas Nili creduntur surdi.

FINIS.



Titanes coeli affectabant
regna per Ossam,
Quæ tu Titanum vasta per
ossa petis.

*Primitiis Academicorum exercitio-
rum ista applaudit*

Strauchius.

D 2

PRÆ-

PRÆEXIMIO
MÜLLERO,

De magnis in naturæ arcanis recessibus reservatis rebus differenti,

EÛ

adclamat

GUERNERUS ROLFINCIUS,

Phil, & Med. D. Pract. ac Chim. P.P.

Academiæ Senior.

MÛLLERE, Aonii luctator

strenue circi,

eruerè tenebris, clarâq; in

luce locare

dum fatagis magni molimi-

nis OSSA GIGANTUM;

Euge bonum factum præ-

celso in vertice Pindi

adclamat Phoebus: FAVEAT

FORTUNA LABORI!



Nobiliss. & Literatissimo
DN. THEOPHILO MÜLLERO, Dresdensi,
Philosoph. & Medic. Studiofo,
ex Physicis

De
GIGANTUM OSSIBUS
publicè disputaturo

FELICITER!

L Audo, cum curâ quod colligis ossa Gi-
gantum.

Pergas, Doctorum sic Polyphemus eris.

gratulat. ergo scribeb.

Caspar Posner, P. P. & Collegi
Philos. Decanus.

PRima Tibi Cathedram nunc ornant eru-
ta mira.

Si pergis patria mira profunda dabis.

Gratulab. f.

Erhardus VVeigelius, Mathem.
P. P. Alumn. Inspector.

Ob-



Rite ad majora & vero quod tra-
mite tendas,
Docta GIGANTVM isthaec
OSSA docere queunt;

Optimo mihiq; carissimo Adolescenti, THEO-
PHILO MÜLLERO, regia via, bonarum
artium & Philosophiae adminiculo, ad
virtutum & eruditionem grassanti
adclamabam ἀπορροδίασι

JO. ANDREAS BOSIVS.

Obsita cyclosum squaloreq; pulvereq; ossa
Egregius revocas ausis in luminis oras.
Maeste isthoc animo! nec TE contempta ca-
terva,
Verum magnorum sibi destinat ordo viro-
rum.

Per-Eximio atq; Eruditiss. Dn. Müllero,
Amico suo honoratiss.
L. Mque scripsit

M. Johannes Crausius, Fac,
Phil. Adjunctus.

Ma-

Magna placet doctè scrutarier ossa gigan-
tum,

præditus & magnis dotibus esse studes,
Gratulor hoc coeptum. Det præmia magnus
Apollo!

Patria cara Tibi gaudia magna creet!

*Hocce brevi carmine, prolixo tamen affectu,
eoq; candido, clarè docto Domino Autori
Respondenti, Amico meo pl. honorando,
gratulor atq; prosperrima quaeque ad-
precor*

M. JO. MICH. Schwimmer/Fa-
cult. Phil. Jen. Adjunctus.

Recht ihn Enceladus / reizt ihn
Porphyrion /
Stürmt er dem Jupiter den Stern-
beflammten Thron /
Wil er Typhoeus Grufft der schwe-
ren Last entlasten /
Und mit entweiheter Hand des Hima-
mels Bann betasten?

Ach


Nach meinem werther Freund gräbe
Risen-Knochen aus /
So/das er sich den Weg bähnt in der
Götter Haus ;
Er wil dein Heiligthum / Natur / im
tunckeln finden ;
Auf disen Eckstein muß di Arznet-
Kunst sich gründen.


Aus vertraulicher Mit-Freude schribt

diser Disputation

Præses.







99 A 6919

ULB Halle 3
002 631 202




Sl.

Reho. ✓

VD17





Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

40.

D. B. V.

TIO PHYSICA

De

ANTUM
IBUS,

Quam

ice DEO,

a Philosophico indulgente,

SALAM Academia,

PRÆSIDIO

NI HOFFMANNI,

SLAVIENSIS,

rum examini submitter

orio Philosophico

Müller / Dresd. Misn.

RESPONDENS,

Kal. Septembris,

ni hujus 1670.

ENÆ,

MÜLLERIANO.